

LESSUS
IN FUNERE ACERBO
VIRI
PRÆNOBILISSIMI ATQUE CLA-
RISSIMI,
DOMINI
ERDMANNI
UHSEI,

EPISCOPO-DUCALIS GYMNASII,
QUOD MERSEBURGI FLORET,
RECTORIS MERITISSIMI,
AFFINIS MULTO DESIDERATISSIMI,

EFFUSUS

A
JOHANNE GODOFREDO SCHWOPIO.
LL. STUD.

LIPSIAE, LITTERIS SCHOLVINIANIS.
MDCCXXX.



Kapsel 78 N 14 [73]

AK

Quam dura res est, plenaque tædii
Formare mentes? quàm mala sors Viri,
Scientiarum qui ministrat
Discipulis elementa prima!

Illum docendo dixeris indies
Laboriosi volvere Sisyphi
Saxum: Labor nam vix peractus
Semper huic renovandus instat.

Augiæ olentes ut satiùs putes
Purgare caulas, quàm pueros rudes
Et litterarum non peritos
Artibus ingenuis polire.

Exasciatis fac hodie dari
Curà docendi perpete plusculos;
Verùm petentes Altiora
Mox alios alii sequuntur.

Quid quod Magistrum nil cruciet magis,
Quàm si in docentem culpa refunditur,
In parte læva cùm mamillæ
Nil juveni salit inficeto.

Mercurialem qui statuam parat
Ex mole trunci reddere, suscipit
Negotium magni laboris,
Artis item minimè minoris.

At

At qui juventam format & instruit,
Illa officinâ tantò operosius
Sudet necesse est: nam laborum
Congeriem schola portat omnem.

Nec quosque Phœbus finxit idoneos;
Paucis docendi perspicuum genus,
Doctisque multis pœna penè est
Indociles pueros docere.

Quis non mereri hinc præmia censeat,
Quotquot studendi commoda promovent,
Pubemque doctrinis simulque
Moribus instituunt honestis?

Ast pro! sinistra tempora seculi!
Ludimagistris gloria: Despici.
Hac sorte pensantur labores
In teneros animos peracti.

TE lustra fermè jam quatuor quidem
UHSI, coquebat cura scholastica:
Sed plaustra quot fastidiorum
Temporis hoc spatium tulisti?

En! jam malorum terminus incidit,
Donat benignus **TE** rude nunc Deus,
Et morte defunctum beata
Deliciis beat invidendis.

Jam

*Jam Rostra cessant, & strepitus scholæ;
Vinctus corona cælite verticem,
Post tot graves fluctus laborum
Perpetua fruëris quiete.*

*Nec indecoro pulvere sordidus
Orbem relinquis: Pars potior **TUI**
Mens quippe perstat, scripta durant,
Nulla quibus veniet ruina.*

*Virtus refulgens, fata adamantina
Quæ sola frangit, corpore quamlibet
Reconditò tristi sub urnâ,
Noctè caret tenebrisque mortis.*

*Quousque vivent Discipuli Tui,
Quousque nomen Gymnasio manet,
RECTORIS UHSEI manebunt
Nomen, honos, celebresque laudes.*


*Quæ vox ephebum me docuit, sedet
Infixa menti: nec pietas Tua
Fidesque nullo tincta fūco
Corde meo memori recedent.*

*Vos, qui Peremtum flebilibus modis
Lugetis, omnes, mittite lacrimas:
Nefas iis urgere Manes
Sedibus æthereis repostos.*



78 N 14 [13]

LESSUS
 IN FUNERE ACERBO
 VIRI
 PRÆNOBILISSIMI ATQUE CLA-
 RISSIMI,
 OMNI
 MANNI
 HSEI,
 DUCALIS GYMNASII,
 MERSEBURGI FLORET,
 IS MERITISSIMI,
 LTO DESIDERATISSIMI,
 EFFUSUS
 A
 ODOFREDO SCHWOPIO.
 LL. STUD.
 LITTERIS SCHOLVINIANIS.
 MDCCXXX.



78 N 14 [13]

AK

